



EPICEDIA Z/4080

In luctuosum & beatissimum obitum

Viri Reverendi & Amplissimi

Dn.

GEORGII WEINRICHI

S S. Theol. Doctoris ac
Professoris publici, Ecclesiae Lipsien-
sis Superintendentis meritissi-
mi &c.

*Honoris & memoriae causâ
conscripta*

à Fautoribus, Cognatis, Collegis & Amicis.

LIPSIÆ,

Anno Jubileo Lutherano

MartInVs perget spLenDere LVtherVs In orbe.

Typis VALENTINI am Ende Haredum.



Georg Weintrich

Georg Weintrich

Georg Weintrich


Georg Weintrich





Ra quidem tristis rigat ægro Lipsia fletu,
 VVEINRICHIO vitā quod Libitina negat:
 Nil tamen hîc lugere iuvat, luxisse iuaret
 Crimina, quæ propter Morta cruenta furit;
 Crimina quæ propter non exorabilis, omni
 Ad nutum rumpit stamina, Parca, DEI.
 Nos, ut, quod fatum præfagiit, obruat omen,
 VVEINRICHII, oramus supplice, JOVA, prece.

Michaël VVirth, D. Acad. Lips.
 p. t. R E C T O R.



Lychnus ut accensus longævo absumitur usu,
 Extinctusq; oleo deficiente perit;
 Sic hominis Vita est, multis quæ profuit olim
 Splendentisq; adeo luminis instar erat.
 Dum studet innumeris servire domiq; forisq;
 Paulatim vires det erit ipsa suas.
 Exemplum nuper VVEINRICHIIUS ille disertus
 LIPSIADUM insignis gloria, triste dedit.
 Serviit hic multos CHRISTO POPULOq; per annos:
 Serviit in templis serviit inq; Scholis.
 Accendere ejus claro de lumine lumen
 Complures, tenebras & pepulere suas.
 Extincto donec fulgentis luminis usu
 Ac oleo vitæ deficiente, jacet.
 Ceu Moses, Aaron, Samuel, cunctiq; Propheta,
 Viribus exhausti lucem obiere suam.

A 2

Non



*Non tamen in tenebris aeternis permanet ille,
Condere telluris quem gelida urna solet,
Lumine caelesti potius penitusq; coruscat,
Lumine quo nullum dignius esse potest.
Lumine sic animâ fruitur, porroq; fruetur
Corpore, VVEINRICHII S. Lipsia, Svada tua.*

Honoris, amoris & recordationis ergò fecit

Matthias Hoc ab Hoëneg, S. Theol.

*D. Serenissimo Electori Saxoniae à
Concionibus primariis aulicis, &
consiliis Ecclesiasticis.*

VOs ergò alternis clades lugete, sorores,
Leucori docta tuas, Lipsia culta, tuas.
Vix tepet HÛTTERI feralis tumba: sed ecce,
VVEINRICHII funus urbs Phylirea videt!
Hæc vicinarum sunt mutua fata sororum,
Jam (memini) vicibus continuata tribus.
Dextera magna DEI facit ista: quis hiscere contra
Ausit? in hac omnes stantq; caduntq; manu.
Sed tu, Sancte Pater, rege nos, fac grata salutis
Organa, quos laudi vis superesse tuæ.

Fridericus Balduinus D. Superintend. VVitteb.

AD TUMULUM D. VVEINRICHII.

versus Ant. Φ 191.

WEINRICHII exuviis præsens dat tumba quietem:
Est anima cæli CHRISTUS in arce quies.
Vita fuit vivo, manet ille & vita sepulto:
Quid mortem hic dicas juris habere? nihil.
Vita piis cum sit servire & vivere CHRISTO,
Quidni vita piis sit tibi CHRISTE mori?

At

At tu deposito placidam da tumba quietem:

Teg, ad reddendum cum jubeare, para.

Vincentius Schmuck D. memoriae Col-
legæ & Compatriis desideratis. f.

Nectar & Ambrosiam ex gazâ prædivite Christi
VVEINRICHIUS præbens sæpè suis ovibus:
Præmia nunc fidi capiens sperata laboris,
In coelo fruitur nectare & ambrosiâ.

Balthasar Mëntzerus D. & Profes.
Theol. Giessensis.

*Aliud Ejusdem D. Menzeri postscriptum ad Cl. Dn.
M. Heinr. Höpferum Logic. P P.*

HOPFNERE vestra est Lipsia Misniæ
Flos singularis: quam Charites sibi
Legere sedem: celsiore
Mercurius sed honore fulget.

Hic Schmuccianam audire peritiam
Deprædicantem nobile JESULI
Nomen, precesq; & vota magno
Concipientem animo serena:

Hic & Lyseri colloquio frui
Et cæterorum sacra docentium,
Mî contigit celsâ æde, sancti
Nicolai referente nomen.

Quin & verendò canitie seni
Gratam salutem, te duce, Episcopo
Dixi, benignâ fronte, lauto
Suaviter hospitio receptus.

Sermo sonabat, qui recreat pios,

A 3

Qualem

Qualem ore morti jam propior Cycnus
Efflare fertur: Krappiúq;
Eloquio patuere mentes:
Vinoq; Græco, dono Academiæ
Insigniori, lingua disertior
Rerum per æquor temperato
Dulciter ordine cursitabat.
Jamq; hora discessum subito imperat
Præsensq; currus: jamq; vale ultimum
Mens grata votis ritè factis
Dicere more pio parabat,
Tardare noster sed nequit pedes
Ægros rogatus. Nam comitem mihi
Ad limen ipsum se ferebat
V. V. E. I. N. R. I. C. H. I. U. S. pater, ore læto
Sic inquit: *Charissime mi vale*
Hospes, D E O dilecte: Videbo te
Non hac in urbe, aut hoc in orbe,
Sed patriâ rutilante cæli.
Quâ glutinantur corda fidelium
Cœlestis arrhâ numinis, haud eam
Fregisse vel portæ inferorum
Vel Sathanæ valet ira sævi.
Nunc exeundi copia cesserat,
Cœlumq; nostros humidius λόγος
Tingebat, ut Salvum redire
Te cuperem duce Sole ad urbem.
Jam cura pectus sollicitum coquit,
Quas ferre grates pro meritis queam,
Et queis Patronorum favorem
Officiis valeam mereri.

Jam

Jam mente firmas concipio preces,
Et vota fundo, proq; Academiâ
Atq; urbe totâ, atq; universis
Quos pietas mihi copulavit.
Dum Gieffa tandem se mihi reddidit
Pulchrè videndam, meq; domus mea
Grato revertentem recepit
Hospitio, placidâ & quiete.
Bis dena jamq; & septima lux novo
Effulfit orbi, vivere desiit

Hoc orbe noster, celsa cœli

VVEINRICHIUS super astra latus.

Hic nectar iste atq; ambrosiam capit,
Qui nectar olim atq; ambrosiam suis
Fidus dedit servus fruenda,
Discipulis per ovile Christi.

Hæc sors piorum est. Nos suo in ordine,
Quando Imperator quemq; vocaverit,
Lati sequemur. Magne Christe,
Vivere TE atq; mori DUC E opto.

T. αὐτῆρος καὶ Δίου

B. Menzerus.

I.

WEINRICHII Mysta mors sustulit invida vitam,
Mens est angelicis sancta recepta choris.

Non illi pietas, non defuit inclyta virtus,
Virtutisq; comes, gloria, fama, decus.

II.

Numina VVEINRICHIUM sacrâ è statione vocârunt,
Hic ubi Lipsiacam lambit Elyster humus:

Quem

Quem pietas, quem vera fides, quem gratia lingua
Aequarunt summis non sine laude Viris.
Per similem cladem VITAE MONS sensit, acerbo
Ex obitu nuper, DOCTOR HUTHERE, tuo.
Nam tua scripta probant docti, sanctosq; labores
Insigni in precio Vesper & Ortus habent.
Salvete o sancti Mystæ: at mox mitia HUTHERUM
Substituantq; aliorum numina VVEINRICHIUM.

Simon Gediccus S. Th. D. Reveren-
dissimi Præsulatus Martisburgen-
sis Superint.

HEi mihi quot nobis gemitus! Libitina quot ictus!
Funera quot miseris pernicioſa novas!
Vixabit una Ate! subit altera: Tertia majus
Cordolium: quartæ vis lacrymosa magis.
Parthenopeia vix eluximus: atra Cupressus
Eheu Leucorea tristis ab urbe ferit.
Lipſica pullatis succedit honoribus Ægle,
Principis Halla Sales, templaq; flere jubet.
Tu quoq; VVEINRICHI Philyræ decus urbis & oræ
Magne vir, attonitas morte relinquis oves.
CHRISTE quid in tantis nos attentare ruinis
Ecqua tuô nobis fulget ab ore ſalus?
Hæc adeo: quod tu Mors mortis es: & quod in ipsâ
Morte beas vita perpetuante tuos.
Doctoresq; pios, tuba quando noviffima clanget,
Rurfus ad æternas hinc revocabis opes.

Johannes Olearius S. S. Th. D. Halensis
Eccles. Paſt. S. B. Mem. Domini &
fratris plurimum honorandi.

Salve

WEINRICHI, Decus Elysiæ, columenq; tuorum,
Lipsiaci Cætus Nobile Lumen, obis:

Non mirum, tantus per vitam exercuit omnem,

Quem labor atq; dolor, tandem obiisse virum.

Viribus exhaustis naturæ resistere morbis

Haud valet, & victas porrigit ipsa manus.

Septenos novies annos traducere vitâ

Terrenâ DOMINI Gratia larga dedit:

Profocer & metam meus olim venit ad istam,

Cujus jam exuviis Urna propinqua tuis,

Sed plures taceo: Curâ nunc liber ab omnes,

Sanctis exuviis & datur alma Quies;

Mens sed læta Deum cernit, solatia carpens,

Intrasti ut Domini Gaudia certa Tui,

Namq; tuum ad nutum mundo valedicis iniquo,

Et vitam æternam Corde paratus inis.

Hic vivus populumq; DEI, pubemq; docebas

Orpheus suavisono, Nestor & Eloquio.

Quilibet Auditor memori isthoc mente tenebit,

Gestiet & famam condecorare tuam.

Ex oculis abiisti hominum: sed funeris expers

Vivet in Eximio nomen honore tuum.

Vivet pastores inter tua plurima passim

Concio, posteritas quam leget ipsa frequens.

Vivent venturos tua Commentaria in annos,

Lectoriq; pio commoda multa dabunt.

Salve VV EINRICHI cælo subvecte sereno,

Suspiciende mihi Sympatriota vale.

SCHILTERUM, HARBARTUM, BECCERUM invisis olympo,

Collegasq; inter Festa Beatus agis.

B

Mox

Define VVEINRICHIO GERMANIA dicere lessum,
In scriptis vivit perpetuò ille suis.

Define VVEINRICHIVM lugere ECCLESIA Christi,
Cum Christo in superâ vivit is arce poli.

Johan Gerhard, D. Jena f.

Haud satis HÛTTERI Suadam schola nostra sepultam,
Planxit & ecce! novo vulnere tota stupet.

VVEINRICHIVS cadit ille chori Lipsensis ocellus;
Ut jungant lacrymas, quos ligat una fides,
Abcessa, ab sana, Pater alme: Extrude fideles
In messem HUTTEROS VVEINRICHIVOSq; sacram.

*Balthasar Meisnerus Th.D. &
in Acad. VVitteb. P.P.*

Plangite Pierides, Charites, Ecclesia, & omnes
Queis curæ ac cordi est Religionis honor!
Plangite! VVEINRICHIVM mors immatura peremit,
Virtute eximium, consilioq; graven.
Plangite! pastorem fidum revocavit olympus,
Justitia insignem & pietate virum.
Plangite cum votis, ut det DEUS ad sua castra,
Deinceps præcones, huic pietate pares.

*Polycarpus Lyserus D.
συμω. f.*

Dignus eras vitâ VVEINRICHII: mors tamen infert,
Dignus & indignus, merapiente, cadunt.
Dignus eras vitâ: vivit post funera virtus:
Tuq; DEO moriens vivis & astra subis.

B a

Vita

Vita vale, cœlum salve, sunt funera lucrum:

In cœlo vita est, funere parta DEI.

Zacharias Hermannus D. Ecclesiarum
Scholarumq; Uratislaviensium Pastor
& Inspector.

UNdis primævum cum vellet perdere mundum
Diluvii propter facta nefanda DEUS;
Fidum Justitiæ præconem tuta NOACHUM
Cum natis ARCAE claustra subire jubet.
Sic, quia præsentis nunc instant ultima sæcli
Fata, & viventes mille pericla manent,
Evocat hinc Mystas, ut cœlica tecta subintrent,
Nec videant oculis damna futura suis.
Ergò gratamur Thomanâ PRAESULI in æde,
Discessum ex mundo ad regna superna DEI.

*Heinricus Eckhardi D. Ecclesiarum
in Ducatu Aldenburg. Sax. Gene-
ralis Superintend.*

NEc satis HÜTTERI funus? Furis usq; ad ELISTRUM
Mortæ? Ut nil Pietas te movet, aut merita!

Christophor. Helvici D. & Profefs.
Acad. Giessensæ.

TOt tantosq; viros, quorum splendore secundo
Latè fulgebant oppida, templa, Scholæ,
Unus cum nuper terris exemerit annus,
Hunc quis Funestum dicere jure vetet?
Transiit ille quidem, sed nondum tela dolorum,
Quæ coepta est, quem sit finem habitura, vides.

Funera

Funera densantur, rursumq; obiisse virorum
Magnorum fidus, pallida fama docet.
Scilicet, humanis ereptus rebus, obivit
VVEINRICHIUS, fidus Lipsia clara tuum:
VVEINRICHIUS nulli pietate vel arte secundus,
Cujus fundebat lingua diserta favos.
Lipsia plange virum, & tecum plangemus eundem,
Sideris occasum Lipsia plange tui.
Invisæ tenebræ; noctesq; sequuntur opacæ,
Cum terris condunt Lumina tanta caput.
Quare te rerum moderator CHRISTE rogamus,
Fac, ne præda tuum fiat ovile lupis:
Qui benè fungantur, Pastores suffice fidos,
Cum benè defunctos sub tuâ fata vocas.

*Johannes Schröderus Ecclesiastes Nori-
berg. ad S. Laurentii f.*



ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΑΝΑΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΝ.

MATERIA:

TERRA ES

VIATOR;

SISTE L;

JEHOV.

OPTIMO ANNUENTE,

CUBAT HIC,

GEORGIUS VVEINRICHIUS,

HIRSSBERGA SILLESIUS, SACRÆ. SANCTÆ

THEOLOGIAE DOCTOR, ET IN ACADÉ-

MIA PROFESSOR PUBL. NEC-NON ECCLESIAE

LYPSIENSIS AD SACRI THOMAE PASTOR

VIGILANTISSIMUS, EJUSDEMQ.

SUPERATTEND. DIGNIS-

SIMUS.

B 3

'ANA'

ἌΝΑΓΡΑΜΜΑ:

(C. *semel mutata in S.*)

FLOS GENEROSE, NITENS SACRATI (OH!) VINITOR AGRI,
CULTOR SIONIS, PLEISSENI
ENTHEA SVADA POLI:
SIC AGE; SIC JEHOVAE HIC COLUISSE ROSARIA PRODEST!
VINDEMIARE EN DUM CUPIS,
AETHEKE MESSIS ADEST.
NÆ! TIBI GRATA QUIES, POST SEGMINA MULTA LABORUM,
CEDIT, NEC ORBIS (AH!) GENUS
SUSPICIS ULTERIUS.

ἘΠΙΓΡΑΜΜΑ:

S Cilicet hæc JEHOVAE firma est, atq; una voluntas,
Charos sibi imminentibus
Cladibus eripere;
Proq; labore gravi, pro vitæ mille periclis,
Donare cœli sedibus
Gaudia perpetua.
Illuc VVEINRICHIDES, CHRISTO favitore, reductus,
Vitam beatam victitat,
Damna nec ulla timet.
Multa tulit mundo; dedit & quoq; multa, piorum
Dum strenuus nocte ac die
Curat amatq; gregem,
Cœlica quin igitur nunc præmia percipit; expers
Mœsti doloris, jugiter
Deliciis fruitur.
JOVA juvenans lacrymas teneris abstergit ocellis;
Manes sinu pios fovet;
Jungit & aligeris.
Nunc, nunc obtutu defixus firmiter uno
Hæret, superni & Numinis
Pascitur alloquio.

Juxta

Juxta autem astricolas redimitos vestibus albis,
Incedit, ipse portio

Intemerata poli.

Plausibus insolitis ovat; & mortalia ridet

Dona, ac bona; usq; ter sacrum

Nomen in ore gerit.

Salve sancta DEI soboles; pater addite caelo

Salve; tuoq; principi

Carmina grata cane.

Fas, inopi magnum testari carmine amorem,

Ac, pro favore amplissimo,

Condere Mnema pium.

Fas, tibi postremum nunc salve dicere, in orbem

Ductæ tui quod nominis

Litterulæ referunt:

FLOS GENEROSE, NITENS SACRATI (OH!) VINITOR A-
CULTOR SIONIS, PLEISSENI (GRI,
ENTHEA SVADA POLI.

SIC AGE; SIC JHOVÆ HIC COLLISSE ROSARIA PRO-
VINDEMIARE EN DUM CUPIS, (DEST!
ÆTHERE MESSIS ADEST.

NÆ! TIBI GRATA QUIES, POST SEGMINA MULTA LA-
CEDIT; NEC ORBIS (AH!) GENUS (BORUM,
SUSPICIS ULTERIUS.

Spiritus HAEREDEM duplo auctior irriget, artes

Ut imbibat bonas, patris

Continuetq; operas.

*συμπεθείας, ἢ ἡ ἀποθείας, de cliranda causâ erga
Præceptorem, ac promotorem meritissimum, exopta-
tissimum, F.*

Leonh. Rechtenbach-Salissa-Thuring. S S. Th.

D. ac Comit. Mansfeld-Superint. Gener. Isleb.

VVEIN-

W E I N R I C H I U S placidum qui se præstabat amicum
Collegis, quos nunc alma Mysena fovet:

V V E I N R I C H I U S nostræ senior qui dignus, & omni
Jure Facultatis Ordinis auctor erat:

V V E I N R I C H I U S dignâ qui ornabat pulpita voce,
Spargebatq; Ducis cœlica jussa sacri:

V V E I N R I C H I U S justâ lites qui lance secabat,
Puraq; reddebat turbida jura tori:

V V E I N R I C H I U S grandi qui multos ore docebat,
Monstrabatq; viam lucida ad astra gregi:

V V E I N R I C H I U S Mariae qui semper virginis ædes
Ut collega novas struxerat arte pia:

Hic fuit, hic vixit, docuit, defloruit, omnem,
Linquens splendorem, & flebile carnis onus.


Jure igitur merito nunc indulgete dolori,
Pulpita, Collegæ, templa, piiq; greges.

Atq; rogate D E U M scelerata piacula culpa,
Ut clemens vobis nunc relevare velit:

Collegam, Mystam, Senioremm, recta docentem
Mollitus magnâ hinc commoditate dabit.

Collega suo desideratiss. honoris ergò F.

Christoph. V Valpurg. D.



W E I N R I C H I, totum DOCTOR reverende per ævū,
Te moriente, gemit Misnica terra tremat.

Quin etiam reliquis pia turba gemiscit in oris,
Cernit & iratum corde gemente D E U M.

Nuper inaudit, terris liquisse malignas

H Ü T T E R U M, clarum, tempus in omne, virum.

Scilicet hos abitus obitusq; piacula culpa

Nostra perennantis promeruerunt diu!

Ergò

Ergò conversi, JHOVAM accedamus, ut omnem
Iram deponens, plectere cesset atrox.
Restituens populo bona fulcimenta dolenti,
Queis niti felix, inter acerba, que at.

*Singularis condolentia testificanda gratiã con-
scripsit Giessa d. 12. Febr. Anno 1617.*

Justus Fevvrbornius S. Theol. D.

ET tibi, care Socer, mors clausit lumina, quæ tot
Hactenus abripuit summos virtute fideq;
Doctrinaq; Viros, & funere merfit acerbo.
Hinc sacra Relligio te luget, luget & omnis
Christiadùm cætus, luget Philyræaq; cuncta,
Haud secus ac quondam gens Israëlitica tota,
Ereptum Mosen deserta per avia flevit;
Confectumq; pius longæva ætate parentem,
Flevit prostratus super illius ossa Josephus:
Sic etiam nobis Tu justa es causa doloris
Luctusq;, & luctu si quid lugubrius ipso.
Quippe cadis columen, capitis nostriq; corona,
Et nos desertum is, quos hactenus ore disertio
Ac propè divinæ pavisti nectare linguæ,
Nectare sacrati fluitante è gurgite Verbi.
Ætheria sed enim civis cum sede receptus
Gaudia perpetuæ sentis cœlestia vitæ,
Qualia Justitiæ Doctoribus esse parata
Scimus apud Jovam: quem supplice mente rogamus,
Ut nobis alium tam claris dotibus auctum
Pastorem, similem Tibi, det, fidumq; parentem.

Socero suo dilectissimo lugens marensq; scribebat

Valentinus Krappen, J. U. D.

C

Vincti

ERgône VVEINRICHI Myftarum nobile lumen
Dissolvi cupis è tenebrofo carcere mundi
Atq; Redemptori conjungi luce perenni?
Atteret haud vires magis infidiosa senectus.

Dum commiffa fuit terris his vinca CHRISTI,
Vivifico mentes pavidas folamine VERBI
Pavifti, ad JESUM pleno contendere grefsu:
Salvificos puro præbens è fonte liquores
Dogmate cœlefti dio perfufa q; mulfo
Siderei roris, pia pectora, pectore fido.
Dignus ob has dotes diuturni luminis aura.

Verum nos omnes Fatorum lege tenemur
Et Myftes facer, & Medicus, Themidosq; minister
Ni prius immundo cedat demortuus orbi
Cum grege fanctorum mortalis vivere nescit.

Adfis Salvator, tædet piget orbe morari,
Inte CHRISTE mori mihi feliciffima mors est.

Magne DEI præco, mundi fubducte periclis,
Sit tibi pro fudore quies jucunda fepulchro
Pro pietate falus optata in lumine cœli.

*D. Sigifmundus Schillingius, Facult. Medicæ
Senior & Professor pathologicus, Collegii B.
Virginis, nec non Principum Majoris Colle
ga: facieb. Dn. Compatri & Collegæ fuo
colendiffimo.*

Cum Fato PHILYRAE mutaffet tempora vitæ
VVEINRICHIUS, Doct̃or Theiologus celebris;
Fleverunt Suboles, Conjux, Academia, Cives,
Et Templum; cujus Buccina clara fuit.
Ars Laurum impofuit tumulo, Pietas q; coronam;
Illic deposuit Pax quoq; fanct̃a Stolañ:

Fama decus tantum, decus immortale dolendo
Tristitia magna signa novata tulit.
Hic jam compleisset vitæ bis sex ubi Lustra,
Et vix tres annos insuper addiderat;
Defecit tandem; Quem PAX, ARS, FAMAPERENTUM,
Et PIETAS lugent, & super astra ferunt.
Hunc Proles, Mystæ, Conjux, Academia, Cives
Collaudant, plangunt tempus in omne Patrem.

Marcus Korscheidt D.

Fidus pastor oves Christi q; reliquit ovile,
Quem plebs & summi deperiere Viri.
Concio cujus erit cum famâ docta superstes,
Namq; ut erant momi, sic & in arte mimi.
Ore stant paucis tam dogmata sacra rotundo:
Erras, si speras Lipsia culta parem.

Simon Candgrave D.

Mortuus haud moritur, superest cui gloria, miles,
Virtute ac meritis gloria quaest a suis.
Mortue sic vivis, VVEINRICHE; reposita Corona est
Et vitæ & famæ sic tibi perpetua.

VVilh. Schmuck D.

Plorabat nuper VVEINRICHIUS incola terræ,
Perderet Hütterum cum VViteberga suum.
Plorares, Hütterere, nisi esses incola cœli,
VVEINRICHIUM perdit Lipsia quando suum.
Lipsia VVEINRICHIUM, Hütterū VViteberga columnas
Conjunctis lachrimis congemuere simul.

Vix

Vix sine clade domus, scio, corrui una columna.:

Ne noceant Domibus diruta fulcra, P R E C O R.

Casparus Zieglerus J. U. D.

Pullam Relligio vestem quidni induis? ecce

VVEINRICHII Christi præsul ovilis obit.

Pulpita quem stupuere Academica, Concio sacra,

Quem stupuit Mystam, fata tulere senem.

Nec tamen interit penitus: nam fama superstes

Incluta, quâ mactus, non periisse potest.

Corporis exuvia fragiles tellure repostæ:

Spiritus æternum vivit, ovariq; polo.

Christophorus Preibisius Sprotta-Sil.

J. U. D. & Professor publicus.

Nomina si rebus sunt unquam consona, rebus

Nomina sunt nostri consona *VVEINRICHII,*

Diximus *AGRICOLAM* rectè prænominè Graio,

Nam coluit Christi, pectora nostra, solum.

Duritiem glebæ legis confregit aratro,

Subnatas ussit Flamini igne vepres.

Eruit infelix lolium, lapidesq; removit,

Et divina bonis semina fudit agris.

Dispulit Harpyias Orcinâ sede profectas,

Granivoras gladio vocis abegit aves.

Horreaq; implevit cœlestia mergite multo,

Et messis, latâ fruge beavit Herum.

Nec labor in solos impendebatur agellos,

Delicium Christi vinea dulce fuit.

Vinea, cui Christus vitis, sed palmes, alumnus

Theologum cupiens scire, docere sophos.

C 3

Hinc

Hinc meritò cognomen habet *Divesq;* vocatur
Vini, ceu dignè vocla Tudesca notat.
Nempè mero tali madidus, lassusq; senectâ
VVEINRICHIUS somno membra soluta dedit.
Mòx resonante tubâ æthereâ revocandus in auras,
Ut capiat tecum Despota Magne dapes.
Et capiat fructu mentemq; oculosq; reposto,
Poculaq; Angelico neçtare plena bibat.
Tunc ego *Jessæ* redimitus tempora lauru,
Dulcia Davidicâ verba præibo lyrâ.
Ter sanctumq; canent omnes uno ore *JEHOVAM*,
VVEINRICHI quorum pectora culta manu.

Condol. f.

Simon Malsius D. J. U.

Lessus ex Historia 4. Reg 2. v. 12. selectus,

Sicut *ELIS* miser sæpè acclamabat, *ELIA*
Ad superos vecto sub facis igne polos,
Fulgureâ rhedâ, scintillivomisq; caballis,
Mi Pater, ô Pater, ô mi Pater, ergon' abis?
Quò fugis aut veheris? Rheda Israëlis, equesq;
Quò fugis aut veheris, mi Pater, ergon' abis?
Sic ego: (sed frustra querunt mecumq; queruntur,
VVEINRICHIUM nòrant quotquot in urbe senem.)
Quantum equidem possum, queror ac succlamo. Quid? ah cur
Nos Pater heu miseros deseris ante diem?
Lipsia nil majus poterat deperdere nuper
*VVEINRICHI*o magno semper in Orbe Viro.
Hinc meritò luget deflens Ecclesia summum
Mystam, confessus luget itemq; sacer,

Collegamq;

Collegamq; cupit fidam rediisse, suisq;
 Casus consiliis explicuisse graves.
 Luget item natrix Academia docta juventa
 Atq; Professore spirat anabela suum.
 Concilium luget, procerum simul ordo peritorum,
 Inclytus haud tectè condolet atq; gemit.
 Clamat & ingeminat Respublica maesta querelas,
 Nec tamen ob luctum, quò requiescat, habet.
 Ah Pater, ah Pater en! ubi Lipsidos esse dum, equesq;
 Cujus VVEINRICHI rector alacris eras,
 Enthea quo verbi vehitur vis sponte sacrati,
 Aurigante simul FLAMINI ore sacri.
 Vectus es in caelos genis comitantibus: Ipsi
 Nil de te in terris cernimus ulterius,
 Nil nisi nectareos, monumenta perennia, libros
 Compositos Latio Teutonicoq; stylo.
 Posthumane lateant opera exoptamus, ut id, quod
 Haud potuit vivus, mortuus edoceat,
 Fruge juventutis non absq; notabili. At istud
 Addecet heredes exhibuisse boni.
 Quos iterum orando, salvere valere jubemus
 Cum viduâ agnatos undiq; praecipuos.

Valentinus Hartung, P.C. Med. D.

In Tumulum.

Hoc tumulo recubant VVEINRICHI Antistitis ossa,
 Magni olim meritis ingenioq; viri:
 Cujus ad eloquium Philyres stupuere Camœnæ,
 Mellifluo quoties solveret ora sono.
 Jam vox conticuit! lingua intercepta file scit:
 Vivida sed laudes Mens fonat usq; DEO.

Vitam,

Vitam, Mortales, sic degite per brevis ævi,
Mens ut perpetuùm vivat ovetq; DEO.

M. Jo. Fridericus p. t. Facul.
Phil. Decanus.

WEINRICHIUS postquam veram migravit in ædem
Vitæ, quæ vitæ nescit habere modum,
Hic ubi continuè, sparsi pro nectare verbi,
Excratere DEI cælica vina bibit:
Novimus amissum quid sit, planctuq; fatemur,
Planctu per nostras circummeunte domos.
Postera quid faciat nobis, quidvè hora rependat,
Unius in manibus statq; latetq; DEI.
Tantum, summe Pater, similem concede priori:
Et dolor hic aliquâ parte minutus erit.

Philippus Müller Med. Licent.
& Prof. Mathem.

HEU, heu, Pleiades, sacra Numina, plangite, Musæ,
Plangite, VVEINRICHIUS, quem Ecclesia,
quemq; cathedra
Advena quemq; omnis miratus, & incola nostræ
Urbis, cum magni sacrata volumina JOVAE
Panderet, Ecce cadit funestâ morte peremptus.
O mihi si votis res conficienda fuisset,
Siq; preces JOVAM movissent, Nestoris annos
Optassem Superattendenti, optasset & illud
Mecum unâ civis, nec non Schola, curia & ara.
Ast aliter JOVAE visum: Sententia JOVAE
Perstitit: Ergo illum saturum vitæq; laborumq;
Abstulit humano livori: animamq; locavit

Inter

Inter coelicolas, oculos ibi & ante J E H O V A E
Gaudia non ullis capit interitura diebus:
Corpus at exanimum placidè tellure quiescit
Obrutum, & expectat postremi læta diei
Secla, resurget ubi, J O V A M Q V E in carne videbit.
Sistite jam planctum, linguis animisq; favete
Mecum V V E I N R I C H I O, superat terrestria quæq;,
Tendens ad summi coelestia regna J E H O V A E.
Sistite jam planctum, prece sollicitate Tonantem
Devotâ, similem statuât, qui pectore & ore
V V E I N R I C H I U M referat, qui pulpita curet & aras,
Inq; polo tandem nos omnes jungat eidem
V V E I N R I C H I O, faciatq; simul meliore fruamur
In C H R I S T O vitâ, peperit quam Vita Salusq;
C H R I S T U S, quamprimùm veniet nostræ horula
mortis.

*M. Andreas Schneider Lips.
ad D. Thom. Diaconus.*

S I c tandem moreris sacrarum tu quoq; rerum,
Noticia clarus, clarus & officio.
V V E I N R I C H I Doct̃or multis dilect̃e G E O R G I,
Qui te audiverunt, qui tua scripta legunt.
Idem annus, mensis non idem, exordia vitæ
Nostrum utriq; dedit, sic moderante D E O.
Inde etiam æternus pater anno fecit eodem
Ad populum in templis nos sacra verba loqui.
Forsan eodem anno pro velle D E I, quoq; vitæ,
Cedendum utriq; est, atq; ministerio.
Sin minus: optato modo consociemur Olympo
Ambo defuncti tempore quisq; suo.

D

Ut

Ut velut in terris cœlestia verba docendo
Præstitimus cultum voce sonante Deo:
Sic etiam in cœlis inter cantemus orantes
Perpetuo angelicos júbila læta choros.
Interea æternæ lætus cape gaudia vitæ,
Donec ero tecum portio parva poli.

M. Matthias Franck ad D. Nicol. Lips.
Verbi divini minister.

SI lux ulla fuit ferali digna Cupresso,
Dignæve pullato syrinate si ulla fuit:
Næ lux illa fuit, quæ lumine cassus obivit
Lumen Theologiæ nobile VVEINRICHII S.
VVEINRICHII S dives vini, quod inebriat omnes,
Qui siviunt laticem Nectaris ætherei.
Quantus Vir fuerit, tuus incola & advena novit
Lipsia: & æternùm Fama loquetur anus,
Quis non Ingenii foetus miratur, apertæ
Quos luci expositos publicus usus habet!
Quis non Eloqui stupuit flumenq; decusq;,
Ad populum quoties publica verba dedit?
Hinc meritò luget sibi ademtum Ecclesia Myrtam,
Et præceptorem plebs studiosa suam,
Hinc Inspectorem desiderat anxia Lipsis,
Et repetit voto & voce frequente suam,
Sed frustra: nec enim voto est reparabilis ullo,
Quem DEUS eripuit præripuitq; malis;
Nempe malis, quæ vel fieri majora videmus
Quotridiè, & Mundum tollere ad interitum.
His creptus ovat, Superùm statione locatus:
Gaudet & intuitu colloquioq; DEI.

Longiùs

Longiùs ille quidem poterat prodesse docendo,
Et plures animas lucrifarare DEO:
Verùm aliter visum DOMINO, vitæq; necisq;
Jus qui solus habet, quâ patet omne solum.
Hic dedit optatâ, post tot tantosq; labores
Exhaustos, Ipsi posse quiete frui.
Hanc quis VVEINRICHIO, decori illi Lipsides aurêo
Invideat, dudum quam sibi vovit humi?
Hac etiam ut nobis liceat post Fata potiri,
Voce piâ & votis Jova rogandus erit:
Quin ut substituât nostro æmula corda gerentem
VVEINRICHIO, & sanctâ Relligione parem.
Illius intereâ, dum lux censoria surgat,
In gremio terræ molliter ossa cubent.

*Amoris & συμπαιδείας declaranda
studio f.*

M. Nicolaus Lisca Prof. publ.

WEINRICHIUS fuit: ast benefacta, piæq; supersunt,
Quas extollet anus gloria, mentis opes:
Enthea doctrina & sacris accommodus usus
Nisibus, in vita concolor atq; fide,
Os cathedras animans, & torrens copia fandi,
Nec non flex animi tincta lepore Venus,
Pro populo excubie, concrediti episcopus ardor
Cætûs, inq; statas incita cura preces,
Dextera Theologam formandi summa juventam,
Atq; in consiliis provida meta sacris.
Ergò faceffe dolor; minimum est mortale, quod atro
Congener amissum funere texit humus.

D 2

Nescia

*Nescia defungi meritorum fama perennat,
Rursus & exuviis consocianda anima.*

M. Henricus Höpffnerus Profefs.
Logicus.

Lumen Israëlis extinctum 2. Sam, 21.

Lumen extinctum jacet Israëlis:
Ergò justè Ecclesia mœsta luges,
Atq; nunc suspiria larga ab imo
Pectore ducis.

Lumen extinctum jacet Israëlis;
Flent patres, mussant pueri, puellæ
Atq; Matronæ lacrymis inundant
Ora, genasq;.

Lumen extinctum jacet Israëlis,
Decidit nostri capitis corona;
Sic abest templis honor, & cathedræ
Sermo canorus.

Orphëus traxit lapides, ferasq;
Molliit, sensumq; reduxit illis:
Hujus ad vocem taciturnus Orpheus
Obstupuisset.

Ora quando solveret hic docendo,
Quæ DE I verbo meditatus esset;
Hæsimus nos attoniti, Ejus & pe-
pendimus ore.

Sic facem verbo benè præferbat,
Explicans ejus genuina sensa,
More non vulgi; mera Vina, Lac, &
Mella locutus.

Viva vox cessat, gravitas verendi

Corpo-

Corporis cessat: Superest notatum

Literis; qui vis recreare mentem,

Collige spicas.

CHRISTE Verbum, exoro, tuere; Verbum

Vindica glossis, nitidumq; serva;

Atque præcones paribus fideles

Instrue donis.

M. Conradus Bavarus Poët. Prof.

Vini dives eras, VVEINRICHI, Nobile verbum,
Et lingua & cordi plurima vina dabat.

Felices quibus hæc multum Vindemia spumat,

Et cœlis magno pectus amore parat.

Hæc benè vina vigent, nec mortis vulnera norunt,

Cætera cum pereant, hæc benè vina vigent.

VVEINRICHI, cum flent alii, jam letor, Olympo

Quod præfente capis vina cupita DEO.

Uratisl. fac.

M. Thomas Sagittarius, Gymnaf. Eli-
sabethani Rector & Prof. Publicus,
Scholarumque cæterarum, quæ ibid.
Inspector.

Postquam Naturæ solvisti debita FRATER
Nunquam non proprii Cordis amate loco,

Nulla dies abiit, nox nulla, nec horula, qua non

Extiterint luctus signa sat ampla mei,

Et meritò: quoniam novi cecidisse, paterno

Qui me, quiq; meos fovit amore, VIRUM.

At quia sic visum JOVAE, qui deniq; lassum

Deposita, voluit, mole, quiete frui.

D 3

Perfero

Perfero, præsertim quod non mutabile, certus
Quòd sis cœlestis portio clara chori:
Plenus enim fidei dixti ipsâ mortis in horâ:
ÆTERNAM IN VITAM NUNC EO, munde Vale:
Jam, si sunt CHRISTI, ceu sunt, rata verba, beatos
SPONDENTIS, regni participesq; sui,
Qui sibi, quas meruit, verbo quas obtulit ILLE,
Æternas tribuunt non dubitanter Opes;
Quis dubitet quicquam quin carne solutus Olympum
Possideas gratus Sympatriota DEI?
Quare cum non sit, quàm sola relictio nostri,
Quod doleam, luctus contraho vela mei.
Contrâ, quâ frueris cœli novus incola, Vitam
Et tibi fraternè grator, & opto mihi.

*Jobannes Weinrichius Quaxa ejus frater
germanus Ecclesie Melbifensis Pastor.*

Materiam nobis dura fera Morta doloris
Suggestit, & fletus ingeminare jubet:
WEINRICHIVS summi pandens mysteria JHOVÆ
Dum sanctè, placidâ morte peremptus, obit.
Heu dolor! heu cecidit suggesti gloria nostri,
Et columen sacri præsidiumq; gregis.
Qui fuit in templo mystes pius, acer, alacris,
Tàm facienda jubens, quàm fugienda vetans.
Luxit in hoc virtus, magna experientia rerum,
Cujus scripta docent publica, qualis erat.
Flete ergò Phyliræ cives, Ecclesia plora,
Theologiaq; patres, & studiosa cohors.

Flete

Flere etenim pietas vos vult atq; insitus ardor.

Sed statuit lachrymis pagina sacra modum:

Non amissus enim: sed cœli emissus ad aulam

Intuitu gaudet colloquioq; DEI.

Non illum lachrymæ, non tristis cura manebit,

Non ultra livor, aut mors truculenta premet.

Illi parta quies, nobis mala plurima restant,

Quæ tamen optatum sunt habitura modum.

Ergo animo tristes rursus secludite curas,


Vestra nec immodico frangite corda fletu:

Sed date vota DEO, exurgat VVEINRICHIUS ut alter,

Qui tractet verbum dexteritate pari.

Paulus Geringer ad D. Thom.

Verbi divini minister.




CHristosophos inter constans fide, & ore rotundus
VVEINRICHIUS moritur, fama sed orbe viget.

Curia, templa, scholæ gaudebant voce docentis,

Lugent defunctum curia, templa, scholæ.

M. Johannes Höpnerus S S. Theol. Baccal.

ad divi Nicol. Diaconus.



Hitumuli qui sint, quæ sint hac busta, Viitor,

Quæris? Busta pii sunt pia VVEINRICHII:

Hoc Professore tumulo modo Lipsia mastæ

Condidit, huic lachrymas & pia thura dedit.

Nicolaus Selneccerus, Lipsiæ

ad D. Thomæ Diaconus.

Si

SI gravior luctus gravioris signa doloris
 Poscit, cui gravior quam mihi luctus erit?
 Qui non *Patronum*: sed raptum morte *Parentem*,
 Singultu nunquam deficiente, queror.
 Nam præter vitam & lucem hanc, quam debeo Patri,
VVEINRICHIO patruo cuncta relata fero.
 Quin imò alterius longè præclarius ipse
 Officio Patris functus ubiq; fuit.
 Quâ te ergò plangam linguâ? quo carmine flebo
VVEINRICH ô studii duxq; caputq; mei?
 Cùm pius ad coeli raperetur culmen *Elias*,
 Territus hoc viso clamat *Elisa* comes.
 Ah Pater, Ah venerande Pater quo deinde recedis?
Israëligenæ currus & arma gregis?
 Quantum te raptò super aurea sidera *Judæ*
 Stirps nunc amittit præsidium atq; decus!
 Dixit & in geminas, scisso velamine, partes
 Testatur luctus pondera magna sui:
 Consimiles meritò voces ego jacto per auras,
 Tali & *VVEINRICHIIUM* prosequor ore patrem,
 Ah Pater, Ah dilecte Pater quo deinde recedis?
Currus & Auriga Lipsidos unce tuæ?
 Quantum præsidium placidâ te morte peremto,
 Amisit quantum *Lipsia* nostra decus!
 Quid si denato tali patre totus obortas
 In lacrymas irem, quis prohibere velit?
 Sed tamen & decet esse modum finemq; dolendi,
 Hoc est velle *DEI* sit quoq; velle meum,
 Si quicquam tamen ulterius pia vota valerent,
 Auderem ipse tuas poscere, *Elisa*, preces.

Ut

Ut mihi VVEINRICHI duplicatus Spiritus adsit,
Ne cum VVEINRICHIO dona cadente cadant.
Quod si fata negant, saltem *duplicatus* abundet
Spiritus hanc Urbi, VVEINRICHII SŒ decus.
At mihi mox suprema dies super axe parentem
Restituat, cum quo junctus in orbe fui.
Ne mihi tristitiæ moles duplicetur: Olympi
Gaudia sed nullo fine soluta fluant,

παι συμ. τ. ἐνεκα πατρ. defuncto ex fratre nepos

M. Thomas Weinrich, Lipsiæ ad D. Nic. Diaconus.

Ceperat ire novum centesimus annus in ævum,
Ex quo LUTHERI dogmata pura sonant.
Nos gaudebamus miseri, votisq; litatis
Thura adolebamus pectore & ore DEO.
Quid contra Satanas? gemit & fremit & tremit irâ
Tâm florere diu Relligionis opus.
Atq; novo scelerum motu toto orbe columnas
Eruere, admotis nititur arietibus:
Senserunt satis has clades Academia & urbes,
LIPSI A quas inter signa doloris habet,
LIPSI A VVEINRICHIO privata interprete Divinâ
Egregio, templi numine, mente scholæ.
Quod certè fatum, propior nisi sanguine luctus
Me tangat, per se sat grave vulnus alit,
Nam quis non videat sublatis hisce columnis
Sponte relapsurum Relligionis opus?
Inte sola, DEUS, spes est, tua curare resistat,
Ne fata ante fides quàm sua mundus agat.

M. Georgius Weinrich, Pastor in Russein,
piè defuncto suo patruo desideratis. F.

E

Quid

Quid querar? aut quid agam? cecidit *VVEINRICHIUS*,
VVeinrichia gentis summus & unus apex! (cheu,
VVEINRICHIUS cecidit nostri diadema capilli,
 Et super injecta jam tumulatus humo est.
 Qualis *JOSEPHUS* bis quinos inter alumnos
 Ifacidæ quondam fama decusq; fuit:
 Talis *VVEINRICHIUS* quoq; lux erat, atq; Smaragdus
 Inter fraterni pignora quinq; jugi.
 Ille tener miserè patriis avulsus ab ulnis
 Ignotis patitur tristia multa plagis:
 Hic etiam primis elementis gnaviter haustis
 Cogitur externas ire redire vias.
 Ille *Canopæis* arvis à Rege secundum
 Sic moderante Deo culmen honoris adit:
 Hic quoq; muneribus prius inferioribus usus
 Fit *SUPERATTENDENS*, *LIPSI*A clara, tuus.
 Ille procul patria fatis autoribus errat,
 Ut fratres servet promoveatq; suos:
 Hic etiam *Philyram* præmittitur auspice *Jovâ*,
 Fratibus ut reliquis portus & aura foret.
 Ille fatu minimum *DEXTRAE* cognomine *GNATUM*
 Præ reliquis octo fratribus ornat, amat:
 Hic quoq; me natu minimum non segnius arsit,
 Sed pro parte suâ plus fatis auxit ope.
 Illum non pietas potuit, neq; summa potestas
 Præstare immunem tristis acore necis:
 Hunc quoq; non potuit rigidis exolvere fatis,
 Tot divinarum tantus acervus opum.
 At neq; *VVEINRICHIUS* fatalibus occubat annis,
 Cum potiore sui parte superstes agat.

Immò

Immò qui poterit fungi, quem publica nolunt
Divitis ingenii tot monumenta mori?
Quid miser ergò queror? Vivit VVEINRICHIUS! euge
VVeinrichia gentis summus & unus apex,

M. Melchior VVeinrichius Frater.

I nauspicatus seculo	Cur GALLECandidissime,
Hic iuit annus, maximis	Cur VVEINRICHI suavisime,
Emortualis tot viris,	Dixtis salutem seculo?
Cætusq; climacter sacri.	O redde, redde seculo
Ut pauculos recogitem:	Tàm cara, JESU, nomina:
HUTTERE cur doctissime,	Sic seculorum te colent
CUR MAMPHRASI fortissime,	Interminata secula.
	αυτοχεδιος

M. Paulus Röverus ad B. Virg.
Hal. Archid.

HOc fuit in Votis, à JOVA hoc sæpè petitum,
VVEINRICHIUS plures nobiscum ut viveret annos.
Ast aliter JOVAE visum est: En Dia voluntas
Doctorem hunc magnum, magnum & SUPERINTEN-
Exemit. Meritò tota hinc Urbs Lipsica luget. (DENTEM
Atq; ego subtristis lacrymas vix sistere possum
Cum quo me fuerit complexus amore recordor.
Sed quoniam hunc obitum decrevit Summus IOVA,
VVEINRICHIUS superas & terræ ereptus in arces
CHRISTO jam fruitur, quem voce & corde professus:
Mittendæ lacrymæ, vincendi animiq; dolores.
Et gemitus cessent queruli, & lugubria verba:
Quis dabit (ah) nobis alium SUPERINTENDENTEM?
Ad Dextram JOVAE residet nam PASTOR in alto


E 2

Officium

Officium est cuius sacros emittere in orbem
Doctores magnæ sit queis Ecclesia curæ!
CHRISTUS is : ad CHRISTUM fiant pia vota precesq;
Et tribuet nobis fidum SUPERINTENDENTEM.

*Piæ memoria, debita observantia & grati ani-
mi declarandi causa scribebat*

*M. Christophorus Zahn Lips. ad D.
Johannem Verbi minister.*



WEINRICHI laudande mihi magis anne dolende?
Elogio dignus nostro, Elegone magis?

Elogium virtus poscit tua, morsq; dolorem.

Lipsia pro meritis reddet utrumq; tibi.


Slesia te genuit, tenuit post Lipsia, mortem

Utraq; V Weinrichi fletq; doletq; sui.

Quæ fuit in labris facundia, visq; docendi,

Nunc erit in libris fama q; visq; tuis.

*M. Daniel Hermannus Breslâ- Silesius,
Ecclesiæ patriæ ad D. Elisab. Diaconus.*



SI, qui justiciam CHRISTI docuere per orbem,
Præmia in axe poli larga laboris habent,
WEINRICHIUS certè primos jam laudis honores
Aufert, doctorum gloria prima Virum.

*M. Christianus Langius Pastor
Meuselvicensis.*

WEINRICHIUM fato tumulandum cernere fata,
Quod mihi concedunt, gratulor ipse mihi.
Nam praeceptoris mihi gratus nomine semper,
Dum fuit in vivis, dum quoq; vivus ero.

Quo

Quo me complexus reverentem pectore fido,
 Tempore non ullo desuit iste favor.
 Sed luge Philyrea, modo qui pulpita dextrè
 Rexit, is, ò mortis lege trahente, cadit.
 Ah cecidit decus ergò tuum, tua pulpita cassa,
 VV E I N R I C H I U M luges, Lipsia clara, tuum.
 Qualis enim fuerit, doctissima scripta loquuntur:
 Livor iners potuit quid nocuisse? Nihil.
 Qui methodo facilis, sincero dogmate dexter,
 Nonnè tibi pacis nomine gratus erat?
 Qui sibi semper erat similis, constanter adherens
 Pectore, voce, stylo, Magne LUTHERE tibi.
 Claruit in terris: cæli novus atq; triumphat
 Incola: sub tumulo molliter ossa cubent:
 Donec mortales ruptâ tellure resurgent,
 Extrema subito cum venit hora mora:
 Tunc quoq; fulgebit veluti sol aureus orbe,
 Et teget illius certa corona caput.
 Lugeat interea, post luctum gaudeat, atq;
 Floreat eternum VVeinrichiana domus.
 Et Philyrea tibi Doctorem JOVA ministret,
 Qui simili doceat dexteritate, fide.

M. Christianus Seumius Sangerhusanus,
 majoris globi sub Archiepiscopatu Mag-
 deburgico pastor.

WEINRICH IUM Deus ereptum mortalibus hisce
 Ærumnis placidas jussit adire domos,
 Pax ubi sincera est, & nulli obnoxia fraudi,
 Nec trepidæ turbant gaudia vera vices.

E 3

Ille

Ille quidem cœlo dignus: sed flebilis (cheu!)
 Est nobis sancti mors properata patris.
 Semper honos nomenq; viri laudesq; manebunt,
 Dulciloquiq; viri, pacificiq; viri.
 Tu cœtum solare inopem ter-sancte Jehova,
 Et successorem quæsumus ede pium,
 Cui tua sincerè sit cordi gloria: qui se hoc
 Non sibi, sed Christo munus habere sciat.

M. Sebastian Crell. Schol. Thom. R.

אַנְחָה לְמַת

אֱלֹהֵי הַרוּחֹת לְכֹל-בָּשָׂר
 אֵלֶךְ בְּדֶרֶךְ כָּל-אֶרֶץ:
 אֲנֹכִי שָׂאֵל עַל-אֲדֹנָי שָׁר
 תֵּן הָאִישׁ שֶׁבְּשִׁקְרַי עֵץ:
 וְשׁוּמוֹ עַל-עֵדָה בְּעִיר לַפְּצָה
 הַמוֹצִיָּם הַמְבִיָּאִים:
 מְלֹארוֹת הַקְּמָה וְיִרְאַת יְהוָה
 יִלְקַח הַבְּהִכִי כַפְלִים:
 לְמַעַן יִרְפָּה בְּשָׁלוֹם יָפִי
 קַהֲלֵשׁ כִּלְהַ לְבִנְךָ:
 שִׁמְעֵ אֱלֹהֵי אֵלֵי תַפְלֹתִי
 צְמִאָה נַפְשִׁי לְכַבֹּדְךָ:

Das ist:

Letzter Seufftzer des nunmehr in Gott ruhenden
 Herrn Superintendentens Georgii Weirichs / vor die
 Christliche Gemein in Leipzig.

Gott vbr alles Fleisch vnd Geist/
 Den Weg alle Welt mich gehen heist:

Joh

Ich bitte durch Christum den Gnadenthron/
 Ein wackern Mann wolst setzen nun/
 In Leipzig über dein Gemein/
 Der für ihnen außgeh vnd ein/
 Geschmückt mit deines Geistes gahn/
 Auch all meine mag zwiefeltig habn/
 Damit die Kirch deines Sohns Braut/
 Sich des frew vnd werde erbatwt:
 Hör nun mein Gott/ich bitte nicht mehr/
 Meine Seel dürst nach deiner Ehr.

M. Jacobus Andreas Graulius SS. Th Baccal.

INSIGNIA TUMULI WEINRICHIANI.

Prisca olim Pietas meritorum insignia tumbis

Addidit, ingenii perpes ut esset honos:

Hinc Orpheus plectro, baculoq; Epidaurius heros

Insignis, radio Sicaniusq; senex.

Mensuras tulit Euclides, sua pondera Zeno,

Circellum perdix, lamina Vitruvius

WEINRICHI merita que sint insignia laudi

Debita, si queras, aurea lingua foret.

Aurea lingua Virum decet, aut preciosior auro,

Aureolus cujus fluxit ab ore lepos;

Quin etiam majora petit facundia laudis

Pramia, si meritis par referendus honos:

Huc ergo Amphitryoniades serat ipse Catenas

Aureolas, lepidam Mercuriusq; lyram,

Amphion chelyn hic deponat, Isocratis illinc

Figatur Siren suaviter usq; sonans,

Huc Plato cygnum, corvum Diodorus aruspex,

Entheus huc Orpheus aurea plectra ferat,

Ennius *at*ernum marmor, statuasq; *perennes*
 Gorgias & *summi* Pollio signa *genii*.
Sed tali forsan decorandus honore fuisse
 VVEINRICHIVS, *nijam* stent monumenta *Viro*.
 Et monumenta quidem quovis meliora *pyropo*,
 Sola *vetustatis* nescia sola *necis*.
In quibus *inscripsit* virtus insignia *laudis*,
 Et titulos & *quæ* fama *celebrat* *anus*.
Ipsè Corinthiaco cultu *decorare* sepulcrum,
 Ut *neque* am, at *tanti* cultor *honoris* ero,
 Atq; *hîc* Patrono *lacrymas* & *vota* quot *annis*
Sacrabo, hoc *recolens* Carmine *busta* *Viri*:
 VVEINRICHIVS *Philyres* splendor, *germana*q; *Siren*,
 Hîc *habet* ossa, polo *Spiritum*, in *orbe* decus.

Lugens apponebat

M. Josua Stegman.

L *Ipsidos* eximium decus occidit, occidit *eheu*
 VVEINRICHIO *extincto* *Lipsidos* ampla *salus*.
Misnidos eximium decus occidit, occidit *eheu*
 VVEINRICHIO *extincto* *MISNIDO* s ampla *salus*.
Slesidos eximium decus occidit, occidit *eheu*
 VVEINRICHIO *extincto* *SLESIDOS* ampla *salus*.
Lipsia luge, *Misnia* luge, *Slesia* luge,
 Ac *profer* luctus *incola* quisq; *tuos*.
Templa dolete, *Scholæ*q; dolete, dolete *Cathedræ*
 Occidit *heu* *vestrûm* *præses*, *honor*q; *caput*.
 Et tu *sella* dole *CONSISTIT* ubi *ORdo* *VIrorUM*,
 Nam *membro* *eximio* *jam* *viduata* *manes*.
 Et vos *Collegæ* *Mariani* *Slesidos* *oris*
Orti *Collegam* *plangite* *VVEINRICHIVM*.

Verum

Ora rigent lacrymis Academicus ordo, Senatus:

Examina & ora rigent, ora puella riget.

Vos quoq; Discipuli, qui pendebatis ab ore

Doctiloquo, vestrum flete, dolete Patrem.

POLLIO non rediit, MIRUS, summusq; LYSERUS,

Sic nec VVEINRICHIUS! suffice Christe parem.

At, venerande Senex, qui in Cælo ut Stella coruscas,

Accipe discipuli qua monumenta tui.

*Gratitudinis erga Dn. Preceptorem optimè de se
meritum declaranda studio μνημόσυνον
hoc lugens ponebat.*

M. Ulricus Mayer.

WEINRICHIUS Doctor, tam re, quam voce Georgus,

Per quem sancta Dei vinea culta fuit,

Palmes erat Christi dependens vite feraci,

Hinc etiam fructus illius usq; manent.

M. Balth. Crusius.

*WEINRICHIUS cecidit, cæli qui maximus Atlas
Theologici atq; DEI sida columna domus.*

VVEINRICHIUS, non tantum urbis, sed totius ingens

Europæ sidus fama perennis, honor.

Heu damnum! heu cladem! nutare cacumina Olympi

Inq; vetus prope cernimus ire chaos.

Religio cano tanto viduata patrono

Diripit, & turpes vellit at agra genas.

Quis tandem rebus poterit succurrere lapsis,

Consiliis regere & templa scholasq; bonis?

Sancte DEUS, proprii qui tutor sidus ovilis

Ipse GREGI similem præfice VVEINRICHIUM.

Religionis

*Religionis honos quò semper floreat, atq;
Pura suant verbi dogmata sacra tui.*

M. Hieronymus Reckleben Lips.

Tot nuper Medicos, tot Juridicosq; Sophosq;
Morte sibi ereptos Lipsia mœsta dolet.
Nec dolor evictus priscus; novus acrior urget:
Usq; adeò solum nullibi in orbe malum.
Nunc etiam sacri spargentes semina Verbi
Mors necat, ut schola sic faucia tota gemat.
Jam cadit ecce sacri caput ordinis, ullus in omni
Lipsiadum quo vix clarior orbe viget.
Si merita, eloquium, mentis si dona superba,
Immitis possent vertere tela necis:
Nondum *VEINRICHII* nostris ereptus ocellis,
Mortales modò humi poneret exsuvias.
Sed modò ponit humi, quod humo mortale gerebat;
Spiritus è cœlo, cœlica tecta subit.
Nomen in orbe volans doctorum figitur ore,
Quod nulli poterunt inde movere dies.
Non igitur deflendus erit: cum corpore fama,
Quæ moritur, flendi; mors quia tristis iis.
Nos haut *VEINRICHII* fatum, sed fata fleamus
Nostra; nocet nobis hunc obiisse Virum.
Quæ mens læva minus jacturam hanc ponderat, inquit:
Majorem Christi vinea ferre nequit.
Tu *DEUS* afflicto populo succurre, refarci
Jacturam, ut fructus vinea sacra ferat.

*M. Johannes Dartranst Grypho-
rinus Silesius.*

F 2

Epigram-

Epigrammata :

I.

WEINRICHIUS periit ? Non sic : periere DOLORES,
Quos peperit Magno rara senecta Viro,
Rara patet, raro quando accidit ista columnis
Theologiae, ut valeant tot numerare dies.
Cetera; dum Pindum Phœbus, cœlumq; Jehovah
Possidet antiquo jure; superstes erit.

(DIT,

NEC PERIT, IN DOMINO PLACIDE QUI LUMINA CLAU-
PLENUS, IOVA, TUI: PLENUS AMORE TUI.

II.

VEINRICHIUS periit ? Non sic : periere LABORES,
Quos movere gravi pulpita bina viro.
Bina puta, binis DOCTOR dum praesuit olim,
Et Latio Philyra Teutonicoq; sono.
Cetera salva puta: dum pharmaca mittet ab agris
India fertilibus, cetera salva puta.

NEC PERIT, INGENIO CUI LAUS, CUI GLORIA PARTA EST:
INGENII DOTES MUSA PERIRE VETAT.

III.

VEINRICHIUS periit ? Non sic : periere QUERELAE,
Quas perferre seni Curia sacra dedit.
Curia quæ rata dat, nec pacta jugalia temnit,
Flentibus hinc flentes rubere sæpè jubet.
Reliqua vitabunt cariem, Lachesinq; profundam,
Donec erunt Musæ: carmina donec erunt.

NEC PERIT IN VARIO QUI SQUIS DISCRIMINE RERAM
CONSILIO MULTIS, AUXILIOQUE FUIT.

IV.

Innunc tolle animos, quicumq; hoc nomine gaudes
VVeinrichiumq; tuum morte perisse nega.

Nil

Nil lacrymas ultra perit, quam multa *QVRELA*
Cumq; dolore *LABOR*: cumq; labore *DOLOR*.
Reliqua stant: *PIETAS*, *VIRTUS*, *SAPIENTIA*, *CANDOR*,
Aeternumq; fera nescia mortis erunt.

Dn suo præceptori meritissimo F.

M. Samuel Müller Hain. SS. Th. Stud.

Siccine perpetuas lacrymas luctumq; perennem
E Patris tristi funere fata parant?
Nec me solatur, quod adhuc mens vivit Olympo,
In libris animus, corpus imaginibus?
Nempè licet recolem, Genitor quod vivat Olympo,
Mox nova cura subit, quid moror ergo solo?
Cogito, adhuc animum monumenta relicta loquuntur,
Mox tamen & vivâ voce carere dolet:
Quin etiam pascenti oculos in lumine Patris
Pro vivâ effigie corporis umbra subit:
Quando igitur solatioli nil deniq; restat,
Perpetuò lacrymas signa doloris alam,
Nec mittam has unquam, donec mihi viva vigentis
In cœlo facies reddita Patris erit.

Godefridus VVeinrichius filius mæstiß. f.

Extat ad Ebraeos: Doctōris sacra docentis
Sis memor affectans illius usq; fidem.
Hoc, ô Auditor, non de Doctore fideli
VVEINRICHIO summo dicere jure potes?
Namq; quis explicuit summi mandata parentis
Majori studio, sedulitate, fide?

F 3

Artificem

Artificem commendat opus, sententia vera est,
Et quantus fuerit, publica scripta probant.
Omnia nonne tulit totius puncta popelli,
Ornando multis dogmata luminibus?
Verus erat justus fautor, rectique patronus
Sinceram venerans cum pietate DEUM.
Vera loquor, nullus fuit hic praestantior illo
Dotibus ingenii, dotibus eloquii.
In morbo patiens, donec jam morte quiescit
Lumina formando cum prece, cumque fide.
Ergo fidem, finemque pii doctoris in omni
Seclatus vitam bene cura mori.
Quisquis enim Christi Merito confidit in hora
Mortis, is aeternas laetus habebit opes.

Condolens faciebat

Henricus Krappius pie defuncti
Pro-Privignus.

Alma Sion, velut ereptas flens Vinitor uvas,
VVEINRICHII ad tumulum, montibus aetia sacris,
Hac posuit: Tantiq; viri pia Nomina servans
Illius in lacrymis Vineae fata canit.
Vinea, chara DEO, stat culta HIRSBERGA sub oris
Elysiis; Tellus haec tulit alma Virum.
Vire bonam genitum Matris de stirpe Patrisq;
Naturae & cura insigniter auctum operis,
Patria Radicem vivum Schola sevit; Ovabat
Dein BRESLAE lati Traducis esse loco;
Pollio, divinus Praeceptor, ab arte Novellam,
Exercens, teneret tunc velut Ulmus erat.
Nec longum; PHILYRE jam lato a Palmite sacrae
Doctrinae Gemmas prominuisse notans,

Vertit

Vertit in hos Oculos mera lœmina; at illicò risit
 Lacryma quam trusit Viribus acta Charis,
 Germina quid referam, dulci de Conjuge nata,
 In florem vitæ cresceret unde magis?
 Eugenia Ingenii pendebant molliter Uvæ
 Quas pressit duri triste laboris onus,
 Ut tandem fluerent gratissima Musta Leporis,
 Spumarent Suadam plenaq; labra novam.
 Parva loquor: Totum ditis Sapiencia in ipsum
 Vidimus hunc versum *VEINRICHIUM* merum?
 Dignum perpetuos fluere & durare per annos
 Quale fuit, Divum dignius Ambrosiâ.
 Verum heu! invida Mors Ejus jam Conda subaudit,
 Eiq; mero Vappam reddere certa fuit.
 Hac contra (ut visum est Superis) ego dolia rupi
 Tot pertusa malis, tot superata malis.
 Terra equidem tristis fex Corporis illa relicta est;
 Flos vini hic Animus mecum it ad astra viam.
 Nil reliquum, nisi quod Christi cum Matre querelas
 Instituam: Vinum postmodò deficere.

Ambrosius Stegman P. L. iugens compos.

Reddite *VEINRICHIUM*, quem fata inimica tulerunt
 Reddite vos, Pietas, Spesq;, Fidesq; DEAE;
 Sic ego; mox prior ascendit cœlum, inde repostum
VEINRICHI mentem, si remeare velit,
 Alma Fides intrat tumulum, quò corporis inde
 Efferat exuvias, reddat iisq; diem,
 Spes Acheronta subit, si mortem fortè moverent
 Vota Deæ, ut gratas misceat illa vices,

Omnia

*Omnia sed frustra tentata fuere; redibant
Infectis operis, per fera fata, Dea,
Quid nunc? VVEINRICHIUM cum nec mors impia versa
Reddere sorte velit, nec polus atq; solum:
Redde suprema dies Patruum, dum reddis, eundem
Et Spes & Pietas poscet & alma Fides.*

Patruo meritiss. f.

Georgius VVeinrich Lipsiensis.

SI fuit ulla mihi gravis unquam causa doloris,
Heu dolor heu nunc est, dum cadit ILLE mihi
Scilicet ingenio, doctrinâ atq; ore disertio,
VVEINRICHIUS cunctis Judicioq; prior
Qui promptè iuvit, qui se cupiêre juvari
Consiliis, scriptis, munificaq; manu:
Heu dolor, heu lacrymæ, nil tristius obtigit unquam,
Hac Domini PATRUI morte PATRIS VE mihi.
At bona spes, vivus qui promptè iuvit, alumnos
Post obitum fertur constituisse sibi
Quorum cum forsân non sum postremus, abactis
Curis, hæc animi sint documenta mei
Dormi, VVEINRICHI, placide, præclare Patrone,
Dormi, nil tua nil membra molestet humi
Duret in æternum tua fama, voletq; per orbem
Spiritus ætherëis vivat ovetq; plagis.

*Johannes VVeinrich Dn. Doct. piè de-
nati ex fratre Johanne nepos.*

Sole cadente dolet, gaudet surgente Viator
Propositum longum qui sibi novit iter,

Sic

Sic mihi seēt arti Musarum compita dum Sol
VVEINRICHIUS Jova precipitante cadit,
Heu doleo. Verūm quia Sol novus eminent illo
Qui me jam pridem fovit adhucq; fovet.
Gaudeo, denato pacemq; precando Patrono
Qui superest superet Nestoris opto dies:
ILLIUS quoniam ceu munificentia largos
Sumtus ad cœptum suppeditabit iter:
Sic HOC SOLE mihi lucem præbente futurum
Confido rectâ verser eundo viâ.
Atq; ita transacto cursu inservire Tonanti
Illiusq; GREGI non sine fruge queam.

Christianus VVeinrichius Dn. Doct.
piè defuncti ex fratre Johanne nepos.

QVi me, quiq; meos privasti IOVA, Patrono
In quo ipes omnis nostra reposita fuit,
Per placidam domino Patruo largire quietem
Et Meccœnatem suffice quæso novum.

Gotfridus VVeinrich Dn. Doct. piè de-
functi ex Johanne fratre nepos.

LIPSI A cur lachrymas, cur tot suspiria fundis?
Ne facias · nescis? PULVIS ET UMBRA SUMMUS
PULVIS ET UMBRA SUMMUS, donec revocemur ad astra,
Ultima per nubes cum tuba signa dabit.
VVEINRICHII certè hic requiescunt molliter ossa,
Spiritus ejusdem fulget in arce poli.
Sic omnes imus, manet immutabile FATUM.
Nil rapido LHETO certius esse potest.

Andreas Lindtholtz.

G

Nunc

Nunc Lyræ Phœbi taceant canoræ,
Nunc Jovis summi dapibus paratis
Grata testudo taceat; procul stant
Gaudia cordis!

Lacrymæ replent oculos utrosq; ;
Lacrymæ malas faciunt madere ;
Cor pium mœsto trepidat dolore ;
Flete! dolete!

Civium Pastor recubat; videte!
Civium Pastor moritur; dolete!
Civium Pastor (lacrymate mecum)
Lumina clausit;

Ipse VV E I N R I C H U S Decus Orbis, Urbis
Liplicæ splendor; Cathedræ coruscum
Sidus, amittit radios: tenebris
Templa reguntur.

Præco, divino decoratus ore,
Heu! potens Christi recitare verbum,
Obserat, nunquam referanda mundo,
Ostia vitæ.

Parcitis, Parcæ, reprobis in orbe :
Parcitis, Parcæ, reprobis in urbe :
Tàm probo vos non Animo potestis
Parcere, Parcæ?

Quantus at Doctor vir erat G E O R G U S
Ille VV E I N R I C H U S? movet hoc nihil vos?
O Deæ duræ! necuisse Patrem
Quî potuistis?

Ipsus iratus Deus est supra vos,
Namq; vos Christi necuistis unctum,
Qui frui vitâ meliore dignus,
Dignior astris!

Lingua vobiscum mea quid loquatur
Amplius? cœli referantur illi
Jam fores: intrat novus hospes: hospes
Qui fuit Orbi.

Dive VVEINRICH, data sic laborum,
Pausa tantorum tibi nunc? dolorum est
Pausa, morborum data pausa: pausa est
Immò malorum.

Quàm suam vitam benè claudit ille,
Qui Poli læto pede adivit alta,
Astra! mens secum pia jam revolvit
Illud & illud.


Illius vitæ capiti corona
Jam data est; vivit sine fine vitam:
Quando cessamus lachrymare? vitæ
Gaudia sunt huic.

Dormiens nunquam. Deus ipse Pastor
Ipse Pastorem similem huic, paremque;
Da tuis templis; similem Patronum,
Daque clienti

Sic tubæ carmen resonent sonoræ;
Sic lyræ laudes recinant canoræ;
Sicque testudo tibi pangat omnis,
O Deus, odas!

Christianus Perschmann.

Heulogia, Philyres, Musarum navis & aura
Eheu Weinrichius funere mersus obit!
Quisquis es Eusebia studiis operate sacratis,
Ingemina fletus, carmine teste, tuos.
Quisquis es aut civis Philyres aut urbis alumne,
Plangito Sirenis funera Teutonice.



In luctu
Viri
GE
WE
S S. T
Professo
fis S
Hon
à Fautorib
MartInVs p
Typis V

